D.o Luigi Sala

PRIMAE LINEAE

TOPOGRAPHIAE MEDICAE AGRI TICINENSIS

AUCTORE

SYRO BORDA

EQUITE, ET THERAPIAE IN TICINENSI ATHENAEO PROFESSORE

ACCEDUNT

PETRI CONFIGLIACCHII

PHYSICES PROFESSORIS

OBSERVATIONES METEOROLOGICAE
PER ANNOS BIS QUATERNOS INSTITUTAE.



PAPIAE.

Ex Typographia Jo. Cappelli.

1816.

Medici officium dicimus esse, curare ad sanandum apposite; finem curare sanatione.

CICER. de invent. rhet. l. 5.



AUDITORIBUS SUIS

MEDICARUM LITERARUM STUDIOSIS

SYRUS BORDA

S. P. D.

Si quae medicae disciplinae pars extat, ad quam studium omne conferre debeat medicus, si quae scientiae aegritudines elidendi pars, qua, salutis omnium caussa, peculiariter imbutos iri debere viros

praxi medicae addictos optimum factu adiudico, ea sane est earum infirmitatum historia, quibus eorum conterranei premuntur, ac proinde ubi illi ipsi medicinam faciunt. At si quis eas discere attenderit, minus civium infirmorum domos, quam xenodochia visat publica; huc enim multiplices cuiusque aetatis, sexus, corporisque habitus in morbos casi, omnigenas invaletudines ex ordine in apertum produnt; huc diatheses, stadia, anomaliae notatione dignissimae dilucide perpendi queunt, huc lege sancitum est ut valetudinariis praefecti, nullo intermisso tempore, et de publico remedia suppetant, huc tandem aliquid semper remediis inventis addit vel adimit Clinici ingenium, experientia, ac doctrina. Haec sane omnia tum e subsellio, tum iuxta aegrotantium cubile Vobis praesentibus faventibusque praecipere non destiti, quibus ex causis conflatum fortasse fuit confectumque, ut me crebris sermonibus concitaretis, ut quae ad hanc materiam propius attinentia coram in os vobis aperiebam, non ad inanem glorio-

lam, a qua, quam longissime absum scitis, aucupandam, sed ut fructus uberiores in hominum usum et commodum perciperentur, in vulgus indicarem. En igitur quae voluistis obtenta, et facta pollicitis addita; nec quod ad hoc usque tempus id praestare distulerim, nolitote mirari, cum enim omne meae vite curriculum in infirmorum periculis propulsandis elaboratum sit, quotidie aliud ex alio, me invito, impediit. Si has *primas lineas* Vobis emolumento esse praesentiam, animum confirmabo, et quantum temporis angustiae ac mea me mediocritas sinet, ad illas augendas, aggressumque laborem decurrendum, adiiciam. Interea inter tantos sonitus disertorum medicorum mea quoque tenuis exaudiatur vox. Et si in rebus bellicis ipsisque praeliis non solum tubae ac litus, sed etiam spartanae tibiae (*) incentivum aliquod feruntur habuisse, credo quia magnos animos parvulo licet modulo


---

(*) Pausanias harum fuit auctor, tenuisque sonitus erant.

sufficit incitari, haec praeludia ad Vos Iuvenes medicarum literarum alumnos, qui mihi studio paene percurritis, magis magisque in artis difficillimae comparatione excitandos, inserviant. Specimini meo opusculum Collegae celeberrimi PETRI CONFIGLIACCHII adnectere mihi arrisit; caeli etenim inclinationem, regionumque conditionem cum infirmitatibus, quibus earum torquentur coloni, tum auctorum doctissimorum pertractatione, tum praelectionibus meis, quadam ut ita dicam cognatione gaudere, exquisitum est. Verum cur pluribus vos moror? Salvete Iuvenes Medici solertissimi et literarum et Reipublicae commodo ac ornamento.

Dabam Papiae ad calendas Novembris anni 1816.





Ex quo in patrio Ticinensi xenodochio medicinam facio in occasiones omnes imminui morborum scientiam consequendi, quibus in annos singulos urbis agrique Ticinensis accolae laborare consuescunt; hinc tria vel minime lustra sunt, quod, spe proposita boni, multa animo versans, multa per experientiam probata colligens, multa per me ipsum tentans nedum eorum ingenia causasque rimari quivi, sed statuere certe equidem omnium naturam inflammatoriam esse ac promptam quantum fieri potest curationem antiphlogisticam, ut aiunt, efflagitare. Cum autem usque ab anno millesimo octingentesimo decimo hoc in xeno-

dochio ipso tabulae nosographicae elucubratae fuerint, ut quilibet suo arbitratu annales infirmitates oppidanorum rusticorumque in ictu oculi atque ex ordine legat, adgnoscatque, factum est, ut obscurum non sit aegritudines, nullo intermisso intervallo, characterem constitutionis inflammatoriae ostendisse, quae rheumaticae naturam una simulabant. Pectus et fauces praecipue inflammationibus afficiebantur, peripneumoniae inde et anginae erumpebant, neque integrum ex iis caput cerebrumque, unde otitides ophtalmiae et plures exiliebant encephalitides, quae medici dexteritatem, perennemque prudentiam praestolabantur.

Inter exanthemata peticulae crebriores fuere, ac symtomatibus plus minusve improbis adsociatae, hoc enim contagiosum exanthema iam cum simplici blandaque synoca, modo typho hyperstenico egredi consuescebat. Nec defuit scarlatinae febris praesentia, peticulisque mor-

billoque periculosior frequentiorque fuit. Mulieres etiam puerperio cubantes singulariter a miliari afflictabantur, quae diutine perseverabat: erysipelata econtra (ne quid indictum praeteream) oppido pauca.

At hoc minime dicendum de epiphoris tum aquosis cum sanguineis, et in primorum copia continentur diarrheae, et catharri, quorum pertinacia graviter plurimi aegrescebant, nec silentio premam dysenterias, quae ingruente vere incipiunt, aestiferis diebus persequuntur, et labente etiam autumno perdurant, mox solitariae, mox peticulis permanentibus commissae, quod pariter evenit de hemorrhagiis ac praesertim de epistaxi et emopthoe, quae saepius occurrunt cum vertente maio praecox candescit aer et torrida venit aestas; insolentes tamen fuere menorrhagiae, at vulgatior emorrhea peticularis, quam *morbum maculosum hemorrhagicum* dicit Celeberrimus

WERLOPHIUS, qui primus princeps eam observavit, et accurate descripsit.

In dolorum classe studiosius perpendendae sunt cephalalgia hemicrania, ischias, arthritis generatim, rheumata, colicae et pleurodinae. Non ita pridem indigena facta est ea dolens faciei affectio, quae a celeberrimo FOTHERGILLO illustrata fuit, quaeque a Gallis sub nomine *Tic douleureux* indigitatur, et a novissimis pathologis *psoropalgia* aut *neuralgia faciei* appellitatur. Porro haec, quemadmodum anteadicti morbi, rheumaticae atque inflammatoriae constitutioni subiecta, febris intermittentis quotidianae vel tertianae personam induit, atque accessibus plus minusve querulis ac periodicatione plus minusve irregulari aegrotum invadit frangitque. De neurosibus sermonem faciens, ad has epilepsia, eclampsia, ac chorea Sancti Viti attinent. Prima saepiuscule uti peticulae ac scarlatinae symptoma se pro-

tulit miliaris febris ipsius quoque aspectum effinxit. Vidi egomet infirmitatem hanc ut plurimum meningitidi, ac substantiae corticalis cerebri inflammationi comitem se addere, ac illius quoque consecutionem individuam componere. Hisce ergo perpensis mei consilii est multis partibus horum malorum culpam in constitutionem conferendam esse. Plures quoque epilepsiae evenere, earumque caussa ulla generalis erui potest, excepta supralaudata constitutione, eo modo quo actionem in cerebro exercet, inflammationem egerens et tantam diathesin hyperstenicam, ut quandoque formam constituat epilepticam et apopleticam. Chorea pariter S. Viti medicinae prudentes factitavit, qui omne tempus aegrotantium temporibus transmittere debuerunt, ut eius fontem evolverent, et curationis normam determinarent.

Invaluit similiter non ita multum

atque epidemice grassata est tussis convulsiva aut *pertussis*, quam Clinici ad nervorum morbos reducere creverunt, quamvis non a contagio aliena, cuius actio a processu inflammatorio vinculo societatis amice perstringitur, neque diversa fuit agendi ratio hydrophobiae a rabido veneno oriunda, atque a praeclarissimis huiusce aetatis Nosologis neurosibus attributa. Generatim omnigenae quoque convulsiones aderant, hysterismus et hypondriasis. Morbus *asma* dictus hac in urbe creberrimus. Porro illum praevia conditione contractum puto, vel potius multae motilitatis nervorum respirationi inservientium sequelam, neque praecipuae pulmonum laesionis caussam. Pauci enarrantur casus dolorum trismi permanentium, casus nempe tetani partialis, generalisve. Maniacorum numerus medius.

Cachexiae medicorum solertiam assiduitatemque desiderarunt; idem dicito

de emaciationibus, quae existimabantur tanquam vulgatus chronicarum inflammationum eventus, ac demum vel ad duritiem, vel ad lentum suppurationis processum pauxillatim permeabant. Ipsis viscerum inflammationibus iam inde ab initio spretis, vel fortasse ab obscuro et nullo etiam tum usu medentium artis percepto medico curatis, multae obstructiones aut phisconiae emersere, quae tandem intumescentias aquosas aut hydropes, et peculiariter ascitides, anasarcasque procrearunt. In impetiginum tribu (quae paucissimae neque diutinae) scorbutus locum habuit; hic late fusus postremis hisce annis, neque tamen anceps aut tenax, et quoniam impetiginum speciem aliquamulti *pellagram* volunt, eius mentio non visa est supersedenda. Hoc morbo laborantes quondam solummodo in xenodochio visebantur, at intra maenia urbis atque adeo in domibus, intra agri Ticinensis pagos in

praesentia serpit ac funditur, eius victimarum adaugens maximopere numerum.

Ipse detrimentosior insuper evasit, et si tertium attingit stadium certa aegro impendet mors, ut quoquo gentium, et quovis tempore alias continenter fuit. Pellagra ipsa homines mulieresque cuiuscumque aetatis, cuiuscumque habitus insidiose petit, stadia omnia percurrit usquedum maximum, quod est delirium, mania, hebetudo, insiliat, flocci faciens omnia medentium auxilia. Nihilo tamen minus non intermisi morbi incessus, aegrorumque subtiliter numerum, qui ipsius caussa e vita decesserunt, in libello memoriali exequi et exarare; tabulae etiam consignatae nosocomii remedia varia incassum suppeditata candidissime cuique pandunt. Hactenus fuit quod a me scribi potuit de aegritudinibus, quibus universim Principatus Ticinensis accolae torquentur, sed nondum earum finis, et iure quidem, ecquis

enim potest esse tam aversus a vero, tam praeceps, tam mente captus, qui neget in animis omnium hominum penitus insidere opinionem, nullo ut evelli modo possit, morbidum esse Ticinensem aerem, habitum locorum crassum, indulgentiamque coeli minime, nisi in Transpadanis dissitis collibus, fruisci posse. Tanta praeocupatio iudicii in vulgus proditi, caussa haec inventa sola, in qua omnes sentiunt unum atque idem, efficit, ut adventante quintili mense nedum advenae, sed et ipsi fortunis ornati cives summa voluntate rapiunt se ad alias urbes, vel alio ad aestiva habenda concedant. Caeterum (dicam id quod sentio) si hoc optimum factu Papienses exterique iudicant, bene rem suam gerunt. Vergente aestate, autumnoque desistente subeunt febres intermittentes cuiuscumque typi ac gradus, quotidianae, tertianae, quartanae benignae et pernitiosae, quae endemicae et agri papiensis

inquilinae iure ac merito appellari possunt. Non gravabor etiam dicere, quod morbis anteadictis afflictantur vel maxime coloni nostris fluminibus limitanei, atque improbriores minus esse annis iis, quibus siccitate plurimum laboratum est, quam econtra in aliis quotiescumque Padus Ticinumque vel multiplicibus aquis pluviis, vel solutis nivibus iuxta ripas disseminantur, ac in vicinales agros casasque infauste irrumpunt. Cum enim tunc huc illucque resideant undae, stagnantesque permaneant, cum tractu temporis eae ipsae aestu solis, insectis peremptis, stirpibus emarcidis vitientur, atmospheram vaporibus mephiticis bonae hominis valetudini adversis vastant, invertuntque. Tales nostrarum aegritudinum caussas emittens, in illorum gravissimorum, ut claret Scriptorum sententiam concedo, qui a paludosis exalationibus febrium intermittentium ortum proficisci condocefaciunt. At si hoc ve-

ritati consonum foret, eae proculdubio in morborum genere militarent, qui nullimode ab annua costitutione subsequuntur. Verum quod nam argumentum duci potest, ut res ita se habeat iis in febribus intermittentibus, in quibus aegrotantes illis recreantur remediis, auspicato utimur in Synocis et in omnibus pyrexiis, a praevalente constitutione enatis?

Reor equidem quod hoc caput, adhuc in quaestione versatum a medicinae antistibus agitatum iri pro dignitate deberet, optandumque esset eo illud devolvere, ut limatius inclaresceret. Non sicco interea transigendum pede febres has frequentissime recidivas fieri erroneae curationis, neque vero primariae rursus eruptae originis, caussa; in observatione etenim iam dudum est, quod etiamsi climatis mutatio saepe febriles avertat accessus, attamen quandoque redire iterum in locis a miasmatum sede penitissimis, ac eos ipsos sub caelo salubri ac

tenui degentes invadere, quod comprobat febrilem typum tum suffocatum, alioque deflexum, minime tamen debellatam, penitusque deletam comitem diathesim, quae eius fulcimentum ac cardo dicenda. Fortasse etiam abnui non potest eadem curationis aberratione concurrere, ut enascantur physconiae hepatis et lienis, quae febribus intermittentibus recidivis sociae, se dare solent, e quibus aquosi morbi heu nimium apud villicos et pauperes familiares. Excepta itaque intermittentium praevaliditate, ut et earum anteadictis corollariis, patria haec caeli inclinatio paucos alios sistit morbos, qui in fastis Topographiae medicae partialis inscribi merito queant.

Nihilotamen minus fateor scrophulosorum et rachiticorum copiam longe superare vim aliorum morborum, qui in nebulosis atque humentibus locis emergunt, et pauperes imprimis foedos ignavosque incurrunt, qui quasi hydropho-

biae specie comprehensi forent, ab aqua, ut mundi evadant, abhorrent. En ea omnia, quae in praxi medica animadvertere mihi datum fuit. Restat ut curationis dictorum omnium morborum methodum addam.

Ratio medendi.

In curatione aegritudinum diathesis inflammatoriae quacumque sub forma aut specie sese inferrent, volui a communi modo therapeutico longe deflectere. Suscepit consuetudo universa, ut hisce in casibus venae incisiones plena manu praescribantur et fiant; quantumvis vero illae solae pluries iniquiores etiam inflammationes deleant, aegrisque iis laborantibus medelae sint, incongruae tamen aliquoties (ego enim de meo sensu iudico) visae sunt, ecquis enim inficias ibit ita praesenti malo aliis malis remedia dari?

Difficulter stabiliri potest accurata sanguinis detractio in praedictis infirmitatibus, atque hinc Clinicus magnis fluctuat curarum undis in quocumque gravis inflammationis casu, verendum enim, neque iniuria, ne diathesis hyperstenica parvo inopinatoque negotio in oppositam transiliat, tum quando detractionis sanguinis modus incaute praetergreditur. Ego sane scopulum hunc appellere nolens, circumstantia facti postulante, antehabui sanguinis missionibus intermixta remedia illa, quae recta in fibram agunt, atque conditionem abalienant pathologicam, cui superstruitur diathesis stimuli, eiusque processus, qui morbum, variosque eventus inde affluentes expromunt. Tali pacto ad peripneumonias manus adhibebam medicas, venae sectionibus quibusdam praesentissima aggerens medicamenta contrastimulantia, atque orum auxilio sanguinis extractionibus, permagno aegrotantis lucro, peperci. In-

ter medicamenta sanguinis detractionibus adscripta socia, aquam *Pruni Lauro-Cerasi* stillatitiam continuo praetuli; haec large praefinita, centum nempe, pro quaque potione, guttularum dosi, et repetita quovis bihorio, quando diathesis ad summum perducta erat gradum, meae expectationi respondit, nonnullis sanguinis extractionibus vicariam impendens operam. Huic scopo etiam *Digitalem purpuream* iussi, utut eius actio evidentissime efficacior in systemate arterioso, pulsuum motus impares, irregulares intermittentesque efficiens, normam et omnia a pulsibus desumpta fluctuantia reddens, ea nempe emetiendi gradus superstites diathesis, rithmum atque eorum pulsationum vim; adstrictus proinde eram tutius uti medicamine, quod ad regulam in systemate actionem exercet suam, hoc est aqua *Lauro-Cerasi*, quam quoad potentiam nullimodo diversam puto ab acido prussico, quod

ego princeps saepe imperavi viscerum inflammationes obliterandi scopo, ratum etenim habeo eius acidum sal virtutis contrastimulantis summam, qua ista stirps praedita est.

Duobus ergo elementis therapeuticis componebatur methodus, qua diathesim stimuli debellabam, et quacumque sub larva se sisteret, nempe vel elementi quod proxime aut directo in partes solidas viventes vim suam diffundebat, et valetudinem impertiebatur, vel alterius obliqui elementi, quod in stimuli subtractione situm est, quae sanguinis emissione obtinetur, quod unum et idem est, quoad scopum, quem Medicus tenet ad inflammationem stirpitus amovendam; at sanguinis detractionis ratio, ni errans saltem admodum minus tuta, etenim periculum grave inest diathesim in sensu adverso deflectere, atque aegrotantem in vitae periculo versari posse. Aequiparans etiam commoda unius ad

alterius methodi utilitates in curationibus inflammationum, usus contrastimulantium supra sanguinis detractionem eminet tum praecipue quando diathesis seiuncta est a processu viscerum inflammatorio, neque sanguinis copia redundat, neve ulla stasis aut farctura in aliqua systematis animalis parte resideat et agnoscatur. Contrastimulantium usus in praefatis curationibus mihi carior, aegrisque utilior, atque in praxi medica hisce cautionibus per experimenta natis, modo unam methodum modo alteram amplectens, omnibus quot extant inflammationibus tam acutis quam chronicis, felici eventu aptavi (1).

---

(1) Clarissimus Sprengelius in Tomo quinto suarum *Institutionum medicarum* capite primo, in quo de remediorum activitate edisserit, mentionem habet de agentibus contrastimulantibus vulgo dictis sub denominatione *stimulorum negativorum*, neque eos inter seriem iam iteratis experimentis cognitam et pervulgatam reponere, neque eorum vult gravitatem adgnoscere. At si congrua dicenda dubitatio auctoris, quae tum copiam, tum agentium contrastimulantium dignitatem respicit, incomposita mihi certe videtur vox, qua utitur ad illorum numerum flocci facien-

Attamen non possum facere quin adiiciam, me minime tam actuosam curationem iis in morbis suscepisse, qui

---

dum, dum apertissimis verbis scribit *inepta videtur enumeratio metallorum omnium*. Sapientius factu erat nullum iudicium ferre de re, quae nondum scriptis evoluta fuit, quaeque solummodo ex rumore comperta est, cum dicta foras eius auctor nondum eliminaverit.

Cum autem eo loci singulariter ego afficiar nomine, et propugnator emergam istius partis doctrinae, quae ipsi mihi comissime expertissimus eius auctor Rasorius communicavit, nimirum quod in animalibus viventibus nedum *stimuli* habentur, sed et ex adverso *contrastimuli* quoque; cumque Cl. Sprengelius hoc captu difficile adiudicet, sermonibus, argumentisque aliquantulum rem illustrabo, ut pateat perplures humores seiunctos in corpore animali, gaudere actione ad vires vitales prosternendas accommoda, quin et aliqualem dari, quae eas radicitus evellere potest.

Et re quidem vera quod praeter agentia externa vi contrastimulanti instructa extent et nonnulla interna pariter eadem referta in humoribus animalibus, seu, ut patentius dicam, quod dentur agentia propria et singularia animalis viventis, qui in illos agant, notum provocatumque est experimentis a praeclarissimo Mangilio historiae naturalis in nostro Athaeneo Professore *de viperarum veneno*. Et si nullum aliud argumentum foret ad confirmandum agendi modum contrastimulantem in quibusdam humoribus, qui valetudine integra secernuntur in viventibus systhematibus, haec sola desumpta, et ab antea dicto deducta veneno, quod a vera gignitur secretione, abunde sufficeret ad persuadendum eos fortasse perpaucos, qui, mihi dicenti nullam habentes fidem, contrastimulantium internorum in humoribus seiunctis ab organis secretoriis existentiam inficiantur. At plerae etiam suppeditantur a tot aliis secretionibus et excretionibus ani-

lento magis charactere incedebant; at hi ipsi me ad nonnulla experimenta faciunda opportunissime alliciebant, et ad pe-

---

malibus, quae quantumvis minime tam virulentae et internecinae sint, ut viperarum venenum, attamen pollent actione contrastimulanti, ac quodammodo cohibere et moderari valent id, quod excedit in activitate ab internis stimulis enata.

Inter humores animales, qui in corpore animali seiunguntur pro variis usibus habentur succus, gastricus, bilis atque urina ut agentes minus actuosi, at vi contrastimulanti praediti, et quoad succum gastricum nemo, quantum scio, dubitat, quod ipse ut contrastimulans menstruum digestioni inserviat, etenim dum actionem suam exercet chemice vel dinamice, nulla stimuli exeritur vis; alioquin phaenomena alia, quae antecedunt, comitantur, et sequuntur digestionis processum, per analogiam ducunt ad assignandum modum actioni stimulo oppositae in praefato casu. Eruitur etiam ab aliquo facto eadem actio, ut, exempli caussa, cibi appetentiae accrementum, et vis succi illius quae digerit agentium virtutis contrastimulantis refertorum ope, et sublatio eiusdem opera eorum, qui virtute contrastimulanti gaudent. Pari pacto liquores *spirituosi* dicti appetentiam cibi abliminant, et digestionis actionem difficilem reddunt, dum aqua, et quacumque potione aquosa appetentiam adaugetur, atque hinc anteadictus processus excutitur et promovetur.

Quomodo autem in dubio versari potest vis contrastimulans, quam bilis qua inprimis viis qua in systemate omni exerit, quotiescumque concedatur effectus ipsius nil differre prorsus a purgantium eventibus? Ecquis non tenet bilem naturale purgans intestinorum esse, et si purgantia omnia, experimentis per me deprehensis, evidentissime actionem contrastimulantem praemonstrant, bilis pariter, ut purgans, eadem actione pollet.

Urina etiam alter animalium seiunctus humor est, qui cum bili facultatem contrastimulantem secernit, et iure merito in classe

culiares animadversiones de plusculis stirpibus in agro Ticinensi suae spontis hospitantibus, quae virtute medicata prae

---

stimulorum negativorum a Domino Sprengelio recensetur. Praefatus humor excrementitius nedum ob sua principia, quae chemica analysis de ipso aperuit, quaeque etiam probavit esse agentia contrastimulantia, sed etiam effectibus suis perseverantibus optime in elencho contrastimulantium habetur. Facillime deprehenditur haec agendi ratio in urina animadvertens hanc posse evacuationes easdem caussare, quas alii contrastimulantes seu stimuli negativi produnt. Ea iudicatur ut diureticum medicamen, et nitri vices gerit, hinc propriam evacuationem constituit, et quamvis contractionem in vescica excitet, ac proinde hic motus vocetur stimulus, attamen incongrue stimulans diceretur urina eo quia semper *contra-stimulavit* vescicam ad organicos motus analogos producendos. Quod si caussa ischuriae a vescicae inflammatione enata nullus habetur urinae exitus, id evenit eo quia hoc in casu urina minus idonea evadit ad illam evacuationem adiuvandam, quae propria integrae valetudinis status est, cum tunc validior et maior diathesis gradus sit, comparata infirma actione contrastimulante urinae. Id etiam accidere solet cum infirmus propinatione medicaminis purgativi alvi deiectionem non obtinet diathesis exuberantia.

Urina etiam saepe quibusdam in infirmitatibus propinata, perinde ac nonnulli solent, ut purgans agit; et si ut contrastimulus actionem in ventriculo atque in intestinis exercet, cur eadem ratione id non perficiet itidem in vescica? At redeamus ad Chemicam fluidi huius analysim, et videamus quibus partibus illa composita se prodit? Efficitur ex substantiis aquosis, quas propinamus, quaeque stimulis carent, atque eam Chemicus decomponens pluribus salibus neutris, quae contrastimuli sunt, affluentem videt. Possumus ergo proferre unam ex praecipuis secretionibus humani corporis, urinam nempe, contrastimulantem.

se gerunt utilitatem quamdam, iisque antecellere puto, quae ex Indiis et ex penitissima quaque regione abducuntur. Notum provocatumque est *Phellandrium aquaticum* plantam esse, quae abunde in locis stagnantibus vel etiam fossatis transpadanis reperitur. Porro in unum omnes consentiunt elogium huiusce semina heroicum remedium esse ad phtisim pulmonarem radicitus deturbandam. Iamdudum efferebar studio investigandi num sententia deerrarent, qui talia de *phellandrio* praedicant aut veritati con-

esse. Ultro alia principia urinam constituentia sedulo inquirens Chemicus invenit adipem, quae nil demum aliud quam oleum est. Cognoscimus olea animalia et vegetabilia, et ut olea per se purgantia sunt, si insumantur, et contrastimulantia, atque hinc adeps ut contrastimulus agere debet. Perpensis itaque succis ventriculi, intestinorumque, saliva, succus gastricus pancreaticus entericus, bilis, lympha, serum, excrementa ipsa omnia, haec in contrastimulantium serie collocanda sunt. Itaque in regno animali contrastimuli numerum maximum constituunt suarum substantiarum editarum. Ex huc usque praemissis illud illico ac consequenter subsequitur, quod pars agentium externorum, quae vitam conservant, actionem suam exercet in fibra, ut tot alii agentes externi, qui a doctissimo Sprengelio in tribu *negativorum stimulorum* locantur.

sona, vel inflate in maius accepta essent; percontari itaque volui experto usu ipsorum vires, vidique peccasse omnes, qui in quocumque huius morbi stadio indistincte *Phellandrii* semina adhibuere. Ego sane eorum usum in phtisibus hiperstenicis, quae ad secundum pervenissent stadium solummodo imperavi, quanto etenim in primo, ut et in exordio secundi stadii efficacia demonstravit experimentum, tanto inutilia in tertio, in quo nullum medicamentum opitulari aegrotantem valet. Hinc etiam compertum habui praefata semina in phtisibus catharalibus rheumaticis peripneumonicis admodum conferre quotiescumque necessum sit reliquias diatheseos stimuli e pulmonibus abducere, processumque inflammatorium, cui succedaneum est vitium secretionis muci et linfae sub forma puriformi sese patefaciens; ex quo videtur semina illa nullam aliam actionem, quam contrastimulantem egerere, quae diathe-

sin destruens, vitium praedictae secretionis simul exscindit, et vasa lymphatica apta coniunctim reddit ad promptius lympham sub forma puris absorbendam. Exceptis hisce casibus oportet decidere a spe, quod valetudo phtisicorum *Phellandrii* ope eat in melius. Et sane quotusquisque est, qui sibi sumere audet phtisim ultra promotam *Phellandrio* consanescere posse, ubi pulmonum corruptio vel inchoata vel progressa quamcumque curationis methodum abludit? Medici itaque, qui celeberrimo Huffelandio duce seminibus *Phellandrii aquatici* tam percelebratam virtutem assuunt, nugantur aniliter, totaque via errant, atque fallacia in qua irretiti sunt praesentissimum in phtysi medicamen autumantes, sufficienter patefacit ipsorum ignorantiam quoad modum, quo talia semina agunt, ut et quoad conditionem, in qua phtisici tali pharmaco utentes reperiuntur ac sunt, ex quibus omnibus

derivat, quod nulla pars teneatur doctrinae circumstantiarum, in quibus eorum administratio opportuna ad aegritudinem submovendam, et summa insuper iustae dosis inscitia sit. Et sane quoad dosim, attinet addo eam indefinitam esse. Ego inprimis a decem circiter granis caepi, hinc cunctanter eam adauxi usque demum drachmam et amplius quovis bihorio vel trihorio pervenirem. Tali via *Phellandrii* semina phtisicis sanitatem compararunt, quorum puriformia sputismata calamitosam ac progredientem phtisim ominabantur. Desiderandum tamen quod de huiusce remedii rursus praxi medicae revocati laude resipiscant praecones, ut et ii, qui non plane ingloriam caeteroquin stirpem a foro medico eliminatam vellent.

Valeriana officinalis (2).

Stirps haec, adversante Clinicorum opinione, utilitati tam in acutis quam chronicis diathesi stimulis coniunctis morbis mirifice insurgit. Hinc in aperto est opposita minime gaudere vi, ut quondam ferebat medicorum opinio edita in vulgus, quae tamen id temporis nondum eradicata manet. Et re quidem vera si *Valeriana* optime compescit emicraniam, quae remediorum stimulantium usu exasperatur augeturque, puta Moschi, Camphorae, China chinae, quid de modo, quo suam exerit vim, pronuntiandum? Ego quidem eo omni tempore, quo medicinam facio contrastimulantem esse edidici, quin et plurima quoque comparationis experimenta instituta idem luculentissime obfirmarunt. Rem hanc aper-

(2) Vires medicae istarum stirpium iterum leviter in Flora nostra attingimus, quando hac in sermonem veniunt, lectoribusque hoc esse accommodum iudicamus.

tam omnino esse nedum emicrania evincit, sed epilepsia et consimiles affectiones nervosae, quae eamdem pandebant diathesim iperstenicam, quaeque plus semel debellatae fuerunt remediis activitate homologa praeditis; atque ne veri forma me blanditum fuisse, neque ea quae nunc profero aut vera diligentique cogitatione animadversa, aut acri iudicio et examine perpensa non fuisse quis diceret, comparavi cum *Valeriana* remedia ea, quae opposita virtute imbuta putantur, et revera quando nocuus aegrotanti videbatur cuiusque indolis et gradus stimulus, *Valeriana* apprime valebat. Id autem quod extra dubitationis aleam posuit virtutem *Valerianae* contrastimulantem omnino esse, fuit recreatio salutis, caussa ipsius, obtenta in morbis febrilibus evidentissime iperidonicis existimatis. Non ego autem sum nescius quantum negotii suscipere conor talia de *Valeriana* exarans, et in apertum refe-

rens. Video quod a multis medicis reclamatum mihi erit, quod ferme ulli assensu mecum consonabunt. Enixe igitur rogo eos omnes, qui vel animi fluctuatione aestuant, vel verbis meis fidem derogant, ut posthabita omni iam antea menti insita opinione, pericula iam a memetipso optimis ominibus facta, sibi iteranda sumant. Tum a se ipsis condocefacti mea definitive decernant, quae quidem sat plura prolatura essent ad anteadictam *Valerianae* vim celebrandam tutandamque, sed de iis nunc agere huius loci non videtur, et si huius loci non huius temporis et argumenti; hinc eorum recensionem in praesentia missam facere malo, iam etenim notus *Valerianam* administrandi modus, aliunde in desiderio quoque meo est, quod alii et medicinam facientes et ad veritatem inviti ac reluctantes iisdem sub conditionibus eadem pericula faciant.

Atropa Belladonna.

Iis in casibus, in quibus *Valeriana* impar ad stimuli diathesim in morbis nervosis sedandam evellendamque admiranda erat actio *Atropae Belladonna*, et ea peculiariter videbatur in neuralgia faciei, cuius nomen ut supra dixi *tic douloureux* apud gallos, ac prosapalgia a nuperrimis pathologis. Hunc morbum ego emendavi, quando foliis et radicibus refossis et in pulverem impalpabilem, post desiccationem, redactis, quando stirpis extracto rite parato. Dosis in primo casu pauculis constabat granis, verendum enim summopere ne tanta medela inepta foret ad facultatem superandam systematis, quod illam multoties perferre non potest. Ab omni laude felicior etiam in tussi convulsiva infantum *pertussi* dicta. Istis ab hac miserrime vexatis, et eo redactis, ut ope humana servari non posse putatum esset,

postquam omnigena remedia nulli levamento fuere magnitudini medicinae tum radicum quam foliorum tussis magnitudo concedebat. Dosis ex praescripto administrata incipiebat a quarto grani, sequebatur sumtione dimidii, et sic porro usque ad duo grana, rationem aetatis et temperamenti ducens, ac ter quaterve die iterata. Nec absum a praeconio radicis huiusce stirpis, ut medicina profilatica, in canum rabiem efferatorum aliorumve animalium morsu; hac enim in re expertus loquor, et iure commendo efficaciam eius, namque plures eadem a me metipso medicati ita convaluerunt, ut nullum inde apparuerit in iis signum exacti morbi, vel curationis non absolutae. Resistit igitur rabie venenatis haec herba, eiusque vim ita controstimulantem adiudico, ut systema, usu suo, obnoxium nil prorsus evadat veneni rabidi stimulum perceptioni, ac proinde addito tempore ita dispellatur, ut eius reversio nequaquam fieri possit.

Conium maculatum seu Cicuta offic.

Pluries mihi concurrit, ut *Conii maculati* extractum iuberem in fisconiarum, viscerumque obstructionum curationibus. Hisce morbis, quibus indormire minime debet Medicus, cui cordi sit aegrotantium valetudo, populares mei prope ticinum flumen accolae peculiariter laborabant, et post intermissi usus *conii* ipsius redintegrationem explicita affluerunt exempla virtutis suae illis in infirmitatibus, quae in systemate linfatico inhaerent. Illud vel inprimis remediis scrophulae adversis antecelluit. Neque ego dissimulo quod obscurari non potest sed prae me ferendum in phtisi tuberculari a vitio scrophuloso procedente praesentissimum auxilium portare. Hoc etiam longissime et iucundissime memini et scio optimos ope extracti *conii* exitus obtentos a me fuisse in atrofia vel tabe mesentrica, in qua scro-

phula et caussa primigena glandularis obstructionis iudicatur. Hisce in casibus mihi arridet extractum anteadictum absque ullo additamento aegrotanti praefinire, solemniter proinde improbans communem, quae suscepit consuetudinem, illud cum cortice peruviano empirice admiscendi. Qua in re duplicem consiliorum meorum rationem repetam, tum quia nempe tali simplicissimo methodo minime dubitanter teneo modum actionis *conii*, tum quia illo argumento praebeo scrophulam nequaquam ab imbecillitate caussatam iri, ut plera Clinicorum pars obtrudit et venditat, etenim posito etiam, quod sic se res gereret, qui fiet ut a *conio maculato* recreentur scrophulosi, si ut medicina contrastimulans recipitur? Ac ne illud quidem vere dici potest *conium* in omnibus praefati morbi casibus pollere, quamvis hoc eveniat exclusa indole actionis suae, quae ex aequo iugiter emergit. Ratum potius

habeo multam eius virtutem a gravissimi morbi violentia gigni, cui praevertendum existimo contrastimulantibus cicuta validioribus, muriatis nimirum Baritis et calcis, quae mirifice prosunt iis in aegrotis, quos *conii* usus minime caruit scrophula.

Aconitum Napellus.

Planta haec per exactos annos mihi apprime collibuit, atque in praesentia etiamdum ea nihil carius in infirmitatibus reumaticis arthriticis et siphiliticis, quae postremae uberis frictionibus mercurialibus, curationeque composita medicatae erant. Nihilominus e numero aliorum remediorum se excerpit in secretionibus morbosis intimae membranae arteriae tracheae, bronchiorum, tum in reliquiis diathesis stimuli vel iperosteniae a bronchidibus derelictis ac generatim in peripneumoniis. Continuo ser-

monibus meis prae caeteris contrastimulantibus *aconitum Napellum* illustravi, quando decedentibus dictis inflammationibus sputo suspicacis indolis, quoad perspicuas conditiones suas se prodidit. Crebro etiam obstupui animadvertens extractum *aconiti* nedum sputorum redundantiam ocyssime repellere, sed naturam eorum ita immutare, ut mihi omnem praeperceptum abstergeret metum proximae desperatae phtiseos, cui mors, quasi saxum Tantalo, impendet. Porro vestigiis effectuum, quos illud extractum in systemate vasorum tum sanguineorum tum lymphaticorum patefacit industrie insistens, contrastimulanti virtute stirpem istam refertam esse confirmo. Non suscipiam autem ut expressim adiudicem, numne tantam virtutem citius in arteriis vel potius in vasis absorbentibus exerceat. Quod pro certo polliceor est, istius extracti dosis sensim ac pedetentim adauctione, iuxta sistematis rationem, quae quandoque quovis bihorio

de die drachmam unam et amplius tolerabat, cito contingere, ut mucus, calamitosumque deficeret pus. Neque alius quisquis inde opinabitur *aconitum* vim expectorantem potiri, experientia enim me commonefecit sputorum exitum non caussa adiuvatae evacuationis ipsius in trachea natum iri (quam opinionem iis medicis linquo, quibus eam se videndam indulserunt), sed a longissime dissita ratione. *Aconitum* diathesim stimuli residentis perfringit, augmentum secretionis, quae ab stimulo immodico exsilit illud paullatim resecat, ac tali pacto sputorum materiem, continuumque incitamentum subducit extenuatque, quod quidem duabus de caussis, mea quidem sententia, accidit, nimirum, ut iam superius dixi, illorum originem arefaciens lymphae exsudationem praegrandem retundens, vel potius vasa lymphatica ad munus illis abs natura impositum fungendum revocans, et ad absorptionem

ea apta reddens, nec secus ac anteadictis rationibus explanari queunt admirabiles aegritudines, quae ab *aconito* consanatae fuere.

Illud attamen hic ad extremum habeo subiicere, *aconiti* extractum, ut suae virtutis gradus e voto expandat, et plus minusve actuosius iuxta processum, quo paratur, evadat, multis anomaliis, quoad effectus suos, obnoxium ire, ita ut quandoque uni aegrotanti infestae sint eius doses munificae, dum alterum unum iisdem numero et mensura paribus in stimuli diathesibus horrendum in modum exagitat. Hoc mihi medicinam agenti multoties fortuna tulit, ac non ita pridem mihi singularis prorsus obtingit in xenodochio civico phenomenon, quod minime hoc loci tacitum non praeteribo, quamquam nonnullis laevissimum iri putem.

En summa facti. Decem viris ut videbatur phtisi pulmonari cubantibus

egomet medicinam faciebam, atque iis extractum *aconiti* iusseram; quidam denarium unum, alter dimidiam capiebat drachmam, nec minimum damni aut perturbationis hauriebant. Frontes, oculi, vultus, pulsusque aegrotantium eos brevi ab incommoda valetudine emersuros fore ominabantur, at cum in pharmacopea xenodochiana extractum omne, quod administratum erat, absumptum esset, pharmacopola extracto *aconiti* nove confecto usus est, quod quidem virtute efficaciore donatum sus deque omnia morbi emendati indicia inopinato sipans vertensque, miserrime aegrotantes mox animo disipientes evasos afflictavit. Quare non me deserui, nec defui negotio, ac cum non arbitrarer in tanto casu mihi esse nimiam diligentiam pertimescendam, vix monitus non accurri, sed ad aegrotos advolavi; ibi multa rumor fingebat, fama omnia semper in peius augens plures, qui e servitio xenodochii

erant admiratione animum integratos accersiverat, omnes etiam medicinae tyrones eventu perculsos extabescentesque metu advocaverat. Mihi autem caussam e vestigio pernoscenti nullus incessit pavor, et consilium pro tempore et re capiens laborantibus pauca dosi laudani liquidi SYDENHAMII in aqua Menthae piperitae opitulari iussi, quod sanitati omnium post paullo, adstante et inspectante discipulorum stipatu ac memetipso, sic paruit ut severo Imperatori miles pudens, effecitque, ut idem extractum extenuata dosi, habitaque ratione diathesis, infirmorumque habitu iterum nullo non die, afferri posset. Hic inopinus eventus eos, qui sese dant in meam medicam disciplinam optime erudivit. Tum etenim non fuere nescii, quin immo convicti evidentius evasere nedum actionis contrastimulantis *aconiti*, sed circumstantiae, quae tanti est, ac a Medico solertissime perpendenda, scilicet

necesse semper esse multiplicibus diathesis stimuli gradibus pares contrastimulantis remedii gradus obiicere.

Gratiola officinalis.

Post multas observationes quas egomet in praxi medica institui de ratione actionis huius stirpis, eius efficaciam iure ac merito celebrandam puto in quibusdam morbis, qui curationem minime recipiunt remediis alvi deiectionem faventibus, etsi tamen haec hisce in casibus usque ad id temporis solummodo iussa sint. Quin immo in ea sum opinione, quod vis purgandi illi inhaerens effectus tantum sit actionis primariae, quae nil differre videtur ab ea, quae *contrastimulans* communi nuperorum vocabulo vocitatur. Consequenter, excluso eius instabili effectu purgandi, illa peculiariter usus sum in illis infirmitatibus, quae, ut debellentur, medicamen ali-

quod reposcunt, quod maximopere polleat virtute illa, quae retundere ac frangere valeat diathesim stimuli quacumque sub forma se sistat. Summo cum emolumento aegrotantium *Graticla* a me praescripta fuit in febribus intermittentibus, quae nedum *corticis peruviani* usu minime submittuntur, sed eo etiam ita exasperantur, ut continuarum remittentium typum acquirant, et pluries experimentis deprehendi *gratiolam* praefatarum febrium accessus removere ac penitus elidere, neque vero evacuationum auxilio, quando enim diathesis eminens est, minus saepe *gratiolae* usus purgantem promit vim suam, at potius ratione actionis stimulo morboso oppositae, ita ut sublata respondente diathesi stimuli, simul subigitur phaenomenon febrile, quod ab ea exurgit. Adiudico igitur statuendum esse in praxi medica *gratiolae* usus praescriptionem faciendam in febribus omnibus intermittentibus hyperste-

nicis. Etenim in iis, quae oppositi ingenii sunt tantum abest ut infirmitas, eius sumptione, eat in melius, quin immo aggravescit, et parosismi praevertunt. Quando autem *gratiolam* praescripsi scopo fugandi febbres intermittentes naturae hyperstenicae, potius habui eam iubere in pulverem redactam et dosi paucorum granorum, a quatuor nimirum ad sex, sensim sensimque adaugens dosim ratione habita constitutionis aegrorum, quorum auxilio eam decernebam. Tum etiam vidi huius medicinae activitatem effectusque respondere variis gradibus diathesis, quae morbos comitatur; malui etiam uti decocto ipsius stirpis, quae in sex ad octo unciis aquae fiebat, atque ab una, usque ad tres uncias spa-„tio horarum 24. insumebatur, neque discrepabat fructuosus eventus inter pulverem et decoctionem *gratiolae*. Pari praescriptionis methodo iuvantem *gratiolae* virtutem explicui aliis in infirmi-

tatibus, quae a caussis excitantibus oriebantur, neque spes me fefellit dyssenterias hyperstenicae indolis exsolvendi. Cumque expedite iis laborantes reficiat solus *gratiolae* usus, hinc ab *Ipecacuanha*, caeterisque pharmacis his in infirmitatibus, continuo commendatis, abstinui.

Brevitatis caussa in praesentiarum omitto sat grandem observationum syllabum, ex quo luculentissime probatur *Gratiolam* efficaciorem esse omnibus remediis *antidyssentericis* dictis, multique nominis in aegritudinum curationibus, quae a diathesi stimuli caussantur. Addam tamen stirpem istam quocumque in loco humidiusculo nostrae reperiundam, locum habere posse in pluribus aliis morbis in quibus indiscriminatim nuperi medici eam et iubent et laudant, mania nempe, cutanei morbi, icterus, fisconiae, syphylis, eorumque malorum sequelae omnes. Reor attamen anteadictae stirpis usum circumscribi debere (seu folia se-

ligantur seu radix) quando oportet stimuli diathesim frangere, quae mensis affectiones, ac ventriculi incommoda comitatur, ut reticeam ea, quae systema lymphaticum atque cutaneum deturbant. Haec omnia, quae de *gratiolae* virtute refero, fallaci coniectura minime attigi, verum mea ipsa quotidiana experientia medica, oculis praesentia crevi. Desiderio teneor, quod quispiam alius abs me experta reposcat, ut clarius relucescat, an valetudines eius usu obtentae potius ex vi alvi deiectionem promovendi, quam a primaria contrastimulanti actione refluant.

Hyosciamus Niger.

Non complectar in hoc capite quamquod re quaesita mihi de eius vi medicata compertum certissime est, neque quis mihi succenseat, quod contra unam omnium medicorum vocem inficias eo *Hyosciamum* societate atque affinitatis

virium vinculo cum *opio* coniunctum esse; sententia enim ista, absit verbo invidia, specie tantummodo veri prave detorta falsissimis ducitur. Indubium est stirpem istam ut et opium, convulsiones, tranquillitatem, somnum inducere, dolores compescere, tussim sedare, at numne inde consentaneam cum *opio* declarandam, quia eadem sympthomata, quae *opio* pariunt, exscindit? Profecto non satis video rei consecutiones illatas, nimirum ideo actionis identitate duo haec remedia refertissima esse. Ex adverso cum, periculo facto, ipsa dentur synthomata ambabus in diathesibus intra se oppositis, ita medelis vi e regione contraria imbutis disiici queunt. Sane facile esset hoc cernere, animum adiiciens historiis multiplicibus aegrotantium, quarum evulgationem non esse huiusce loci adiudicio, *futurum enim fuisse*, ut apposite ait Tullius *ex eo quod factum est, intelligi debet*. At aliqua multa ten-

tamina nostris temporibus effecta *hyosciamum* in classe remediorum, quae recta *opio* adversantur, collocare persuadent et iubent. Reapse percelebratus est *Hyosciamus* a nuperis medicinae tyronibus, qui quondam vel levitatis, vel fallaciae, vel incostantiae doctrinam hanc acerrime reprehendebant, dum hoc tempore experrecti ac resipiscentes demum illum laudant, adhibentque. Porro ego hanc stirpem praebeo ad nervosum systema sedandum a convulsionibus exagitatum, quae comitem stimuli diathesim habeant. Extractum peculiariter fuit mihi magno usui in tussi spasmodica hyperstenica, sive ea senescentibus peripneumoniis emergat, sive infirmos invadat, qui nervorum morbis afflictantur; casus autem, in quibus *Hyosciamus* remedium praesentissimum, est phtisis ab immodica bronchiorum motilitate caussata, cui adsocietur sicca tussis inquies cum dolore versatili in regione thoracis, cui

nulla recreatio sanguinis extractione tum topica tum universa. Extractum componitur stirpis succo, qui vel igne vel insolatione ad consistentiam redigitur; doses variae iuxta gradus diathesis, quam debellare fas est, at ter vel quater de die in quovis bihorio sumitur, nec dosis quatuor granis paucior esto. Illud maximopere ac firmiter inservit ad quodcumque avertendum synthoma a diathesi stimuli enatum, eo plane modo, quo opium in diathesi contrastimuli. Hinc *hyosciamus* in mentis exulium rationibus vehementer conducit, in quibus organismus facultatum intellectualium a morbosa cerebri excitatione sustentatur, quod quidem in puerperio cubantibus frequentissime visitur, neque id gratis effingo. Ad hanc enim doctrinam, quam meo consecutus sum studio, adiungitur usus frequens, qui omnia magistrorum praecepta superare nemo unus, ni vecors aut excors, inficiabitur.

Digitalis.

Maiori laude quam *Hyosciamus*, ut multis rebus possumus iudicare, cumulandae sunt variae *Digitalis* species, quae ad hanc aetatem in usum trahuntur. Anglorum medicinam facientium insistens viam, qui, magis quam caeterorum nationum medici, post doctissimum Witheringium *Digitalis purpureae* usum, nedum in iis curationibus, in quibus non ita multum eam reducem fecere, sed in aliis multifariis infirmitatibus ministrarunt, mentem meam subiit cogitatio posse infirmorum infirmitati insurgere praedictam stirpem cum affinibus speciebus, nempe *lutea*, *ambigua*, *lanata* (quae Epiglottis a Clar. Brera in Archigymnasio Patavino Clinices Professore nuncupatur), comparando. En, igitur abs me animadversa cuiuscumque speciei discrimina, quae virium gradus varios statuunt, et quidem ut novitium inventum pressus hoc loci

ad communem fructum profero atque in aspectum lucemque affero.

Et primo quidem obscurum non est *Digitalem purpuream* tantam exerere vim, ut quandoque ocyssimum vescentibus sit venenum, illosque proinde vita multaverit, quod quidem in aliis speciebus minime deprehendere fas fuit, at *Digitalis lutea* proxime *purpureae* accedit, quoad summos virium contrastimulantium gradus, quae tam in hydropibus et in affectionibus catharalibus et pneumonicis, quam etiam in infirmitatibus quibuscumque, quae tria systemata spectant sanguineum nempe, nervosum, et lymphaticum, in quibus praefatarum stirpium beneficium omnibus sermonibus meis exornabo quotiescumque morbi assiduo comitem habeant stimuli diathesim. Id obire non potui cum *Digitali ambigua*, quae duobus iam dictis speciebus dignitate, praestantiaque impar, utpotequae eam exspectationem, quam nomen

et cognatio concitavit, sustinere non possit, nec periclitatione, nec longinqui temporis usu. Tandem conatus cum *Digitali Epiglottide* aggressi procerto pollicentur parem in ista atque in illa virtutem esse ad urinas ciendas, quando minor copia diathesis stimuli, quin exerat, ut *Digitalis purpurea*, affluenter vim contrastimuli in toto systemate, et quin fatales illos effectus expromat, quae saepissime sunt cernere usu *Digitalis purpureae*, quando eius dosis plena nimis manu subministrata est, vel, adversante morbi indole, adhibita in diathesi contrastimuli vel hyperstenica.

At satis vel etiam nimium multa de vegetabilibus pollenti medica virtute dotatis nostrate sub caelo vel spontis suae adolescentibus, vel cultura civibus agri nostri iucundi et fertilis evasis. Nunc puto non esse minimae opportunitatis et laudis cursim stricteque attingere caussas urbanas peculiarium morborum, quibus hac in urbe accolae extorquentur.

Caussae Morborum.

Cogitanti mihi saepenumero, et subtiliter perpendenti multarum caussarum complexionem, quae valetudinem infensam tum civium, tum villicorum efficit, illa videri solet ex aere aut atmospherae constitutione, e natura soli, ex habitaculis, e temperamento, ex instituto vitae regimine, exercitatione, et tandem ex se induendi arte repetendam iri.

Costitutio atmospherica.

Ac quod attinet ad atmospherae constitutionem, infularum loco habent Physici omnes, qui eius salubritatem examini subiicerunt Papiense coelum concretum, ac humiditate ita refertum esse, ut ab omnibus limitaneis omnino differat neque id gratis effingitur, cum Hygrometrum plenissimum sit huius consilii testimonium. Tanta tenax atmospherae

humentis conditio caussat morbos aquosos, qui huic nostri agri colonis familiarissimi. Humenti conditioni addatur ventus *notus* dictus, qui creberrime perflat, tumque quivis medicinae etiam tyro, praefatarum invaletudinum spontaneam et expeditam colligat genesim. Cultura etiam soli indigenis excoquit malum, iisque exitio est, cum enim agri affluenter stercorentur, cum prata liberaliter adaquare nostri consuescant villici, tum nulla porrecta loca, tum latifundia Oryza consita, quibus largiorem aquarum vim, antiquis fructibus ab usu deiectis, opes et potentia largiuntur; immensique proinde campi teterrimum ac noxium virus caloribus eructantes, quo proximi pagi, vici, villaeque, gravissime infestantur, et habitatores tabescendo corrumpuntur. Ad haec mala iniquissima, ac noxiosissima animalculorum examina in fermentata colluvie nata ad homines involant, eosque die ac nocte exagitant,

et per os respirando hausta caecis ac lethalibus morbis miseros mortales consumunt. Subeunt domos natrices, serpentes, ranae omne genus, et aliae aquaticae ac palustres pestes, quae veneno, putore, ac maligno et virulento halitu tam humana corpora vitiant, quam partas ad hiemis subsidium fruges depravant. O dira hominum cupido, et inhumana quaestus fames? Agrorum cultus ad homines alendos, nostramque vitam et salubritatem conservandam inventus, auctus, et probatus, in mortalis generis perniciem propter avaritiam convertitur. Numquid dubia consectanda fallor, nec nota omnibus ac perspicua proffero?

Habitacula.

At invaletudines manant etiam a domiciliis. Pervagatum vitium istorum est, quod pluscula ex hisce hyperbo-

reae frigidis ventis tentatae, pauca orientis, vel totum meridiem excipienti orae obversa sint, cum tamen multi aegrescant affectionibus morbosis, quae omnino loca ventis pansa ac insolata, ut valetudo in melius eat, definite reposcunt.

Temperamenta.

Corporis habitudo, quae a pluribus novissimis pathologis flocci fit, magni interest in investigatione caussarum illorum morborum, qui quasdam perturbationes inducere queunt in pristino contextu corporis humani, atque in hac pertractatione a primis infantum aetatulis exordiar, provocatum enim est a dissimilibus vitae periodis, perinde ac si cohaerentis cum omni corpore membra essent, dissimiles manare corporis rationes ad tum physicas quam morales impressiones percipiendas. Nostri ergo pueruli, meo quidem animo, coeteris cunctatiores videntur in proprii corpusculi

evolutione. Pallent, fibrae eorum flaccidae et relaxatae, color luteolus, nunc pinguedine serosa corpulenti et habiti, nunc tam grandi macie torridi, ut marcore et tabe paene laborantes videantur. Paucos sane offendimus, qui belle se habent; quorum quaedam coloris suavitas oculos alliciat, qui alacri sint animo; nulla tandem in iis perfecta et constans corporis absolutio, et quo adolescunt eo evidentius primarum notarum vestigia emergunt, ita ut, si quispiam medicinae cultor contentionem instituit inter triginta ab hinc annis iuvenes cum iis, qui eadem fruuntur in praesentiarum iuventa, facile sentiet immane quantum discrepat amborum comparatio inter primorum corporis explicationem et vim, et secundorum robur incrementumque. Ex quibus conflatur extra iocum dici posse utriusque sexus Papienses minime primaevo habitui respondere, neque enim amplius videtur quaedam corporis apta

figura, quaedam athletica firmitudo. Id temporis iuvenes brevi longuriones evadunt, hinc plantarum aemuli, quae in calculoso et permacro vel nimium solibus exposito agro figuntur, inconcinne accrescunt, ac minus roboris contra naturam iis subest illis aetatibus; ex quo consequitur valetudo anceps, strigosum corpus, quibus omnibus demum subsequuntur emaciationes, consumptiones, phthises. Alii econtra horizontaliter sese extendentes pugmiliones evadunt, ut ut ex avis giganteis oriundi, unde efficitur, quod sub quocumque relatu evolutio corporis consideretur, quando istud crassum fit, proceritate deficit, et econtra, continuo aptae partium compositionis detrimento, quae quod physice perpulchrum dicitur, decernit.

Sexus Foemineus.

Quoad sexum foemineum degenera habitudo corporis facile inspiciunda est.

Ut plurimum mulieres sibi vivunt et domisedae sunt, vix ab aedibus egrediuntur ambulatiuncularum caussa, vel duobus spatiis tribusque factis iterum remeant, nulla in aperto loco exercitatio, quae earum corpora recalescat; hinc earum fibrae molles motionibus irregularibus facile pariunt. Ex hisce omnibus consequenter vix aut omnino fieri potest, quod foeminae nostrates infensae non sint valetudinis. Cursuum mensuorum progressio potissimum perturbatur, atque hinc complicatae et insolitae anomaliae. Chlorosis, fluores albi illis adsociantur, ut reticeam pleras alias viscerum alterationes, quae viro in praxi medica apprime versato suspicionem non levem iniiciunt aegrotantes vitiis organicis toto corpore pertinentibus fractas esse, atque proinde cum stomacho et utero pectus ipsum adeo offensum, ut caussa phtiseos pulmonaris vel proximae vel inchoatae salus desperanda videatur «.

Regimen.

A vitae regimine, quod variorum locorum usus recepit, colliguntur creberrimae caussae aegritudinum, quae ibidem prae coeteris praesto sunt. Medicus, qui ad morbos inopum et operariorum investigandos oculos habet advocatos, expedite adnoscit cur annos salubres peragere nequeunt. Iidem inter omne hebdomadae tempus tenui utuntur cibo, neque scopo servandi pecuniam, eamque, cum res postulabit, erogandi, sed tantummodo ut festos dies agentes quaestus conteratur. Tum Saliarem in morem epulantur, tum frangunt horas mero, hinc hisce transitionibus insolentes et imparatissimi, in quibus vehementes evadunt in utramque partem, aut largitate nimia aut parsimonia, morbis crapulariis obruuntur. Huc adde quod trivit consuetudo apud obscuros praesertim homines agri civitatisque nostrae,

quod ipsi vino aquisque ardentibus ultra modum indulgent. Atque hoc malum a pueritia, nusquam intercepto spatio, ad senectam et mortem ipsam perdurans, quasi a natura comparatum esset, importat pleram partem vitiorum, quae organum afficiunt digestioni inserviens, unde incommoda multiplicia, quae a disepsia caussam emergunt, neque aliam (si quam coniecturam affert longinqui temporis medicinam faciendi usus) video hepatis morborum, qui ferme universim accolas miserrime torquent, quam largis aquarum ex vino distillatarum potationibus. Attamen silentio minime involvenda animi pathemata, quae politicae vicissitudines abactis annis prodidere, sollicitosque nos habuit, et forsan effectus eminentis atmosphericae costitutionis in hepate validius explicarunt, cum anteadictae rationes contra hepatem vim multifariam exercuerint.

In observatione demum esse debet hoc loci, modus, quo mulieres id aeta-

tis se induunt. Ratio etenim evincit eum per exactos et vertentes annos numerosas pectoris affectiones prompsisse, quippe cum illae nulla alia velint paludamenta, nulla pepla aut amictus quam quae populatione morum per hosce dies e Gallia nobis peregrinata sunt, quaeque Coa aut aranea vocari possunt, atque hoc quidem mensibus ipsis hyemantibus; non aliunde quam ab hac caussa pretexere est exordium crebrarum phtisium pulmonarium, quae ab incuratis neglectisque pectoris tussibus spectatissimarum foeminarum mortem obtulerunt. Pauperes minime iussis mancipati eorum, qui novis rebus student nec more novo induuntur, e regione auspicaciter adversis illidunt scopulis, nam frigus satis experti, inopia ignis, nummi, et vestium a caloris et frigoris vicissitudinibus declinare coacti sunt, quin immo neque in discrimen adduci possunt ab iis perculsos iri, cum eorum domunculae vel nil vel saltem paullum brumali

tempore calefiant, ita ut frigus illis e casis egredientibus periculosum esse nequeat, cum simillima ferme sit utriusque aeris et temperiei ratio.

Vellem quidpiam addere de peculiaribus morbis, quibus homines artibus humilibus addicti vexantur, cum vero neque in urbe Papia, neve in viciniis grandes extent officinae medicinam facienti commodae ad observationes comparandas, ut declaretur peculiarem quamcumque artem et peculiares morbos gignere illam exercentibus, hinc missum hoc facio, et eo magis hoc ineundum consilium esset, si etiam aliqualem occasionem id peragendi nanciscerer, quotus enim quisque est, qui vel non haereret in salebra, vel inconcinne de hoc dissereret, cum Celeberrimus Ramazzinius in suo opere *de morbis artificum* seorsim singulas scrutetur artes, singillatim artifices eas profitentes insistat, aegritudines, quibus excruciantur, trutinetur, ut numeris omnibus absolutus ille liber di-

cendus sit. Nihilotamen minus res iam universas profundam. Calceolarii, textores, sarcinatores vel maxime conflictati fuere ab inflammatoria constitutione, quae peculiariter pectus invasit, cumque hoc tum a praevia mala constructione natura sua affectum conturbatumque fuerit, tum ab indole operis ab anteadictis operariis exercîti male se habuerit, atque pneumonicae inflammationes ad fatales exitus aegrotos perduxerit, e quibus oppido pauci consanuerunt, plurimis desperata phtisis exitio fuit.

En ea omnia, quae replicandò memoriam temporum, in quibus medicinam facio, de conspectu morborum, de curationis methodo, de utilitate herbarum, de adversarum valetudinum caussis, ac de regimine in vulgus ego edere possum. Ego ille scilicet, qui tot annos ita vivo, ut ab aegrotantium curationibus nullum unquam tempus aut commodum, aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique retardarit.

PROSPECTUS

Observationum meteorologicarum, agri Ticinensis cum additis annotatiunculis illum illustrantibus Auctore PETRO CONFIGLIACCHIO *Phisices in Papiensi Athenaeo Professore.*

TICINI 1816.

Apud Ioan. Iac. Capelli.

I.

Prospectus meteorologicarum observationum per continuos annos octo, nempe ab anno 1808. ad integrum 1815. confectarum in Physico Museo R. C. Athenaei Ticinensis.

1808.

(a. *Mediae altitudines barometricae cujusque mensis ex duabus quotidianis observationibus deductae.*

Januarii	Februarii	Martii	Aprilis	Maii	Junii	Totius anni
27. 10. 1.	27. 8. 2.	27. 11. 5	27 9. 12	27. 11. 12	27. 10. 9	Max. 28. 4. –
Julii	Augusti	Septemb.	Octobris	Novemb.	Decemb.	Min. 27. 0. 7.
27. 11. 9	27. 11. 12	27. 10. 3	27 11. 0	27. 10. 2.	27. 7. 10	Media 27. 10. –

(b. *Mediae altitudines thermometricae cujusque mensis deductae ut supra.*

						Max. + 23. –
– 1. 7.	– 0. 5	+ 4. 6	+ 7. 0	+ 13. 2.	+ 16. 0.	Min. – 7. –
+ 17. 0	+ 13. 5	+ 14. 0.	+ 8. 2	+ 4. 0	+ 1. 75	Med. + 8. 09.

(c. *Temperies putei profundi pedes 24. ad exitum cujusque mensis observata.*

+ 9. 0	+ 9 0.	+ 8. 2	+ 9. 2.	+ 9. 5	+ 9. 8	Med. tot. anni
+ 9. 9	+ 9 5	+ 9. 0	+ 8. 9	+ 8. 8	+ 9. 0.	+ 9 15.

(d. *Media demonstratio Hygrometri per singulos menses*

74, 0.	65, 0.	55, 0.	51, 25.	50, 5.	53, 0.	Media ut supra
50, 4.	49, 7.	60, 7.	66, 45.	76, 7.	74, 17.	61, 43.

(e. *Dies sereni in singulis mensibus.*

11. $\frac{1}{2}$	13 –	10. –	14. –	15. $\frac{1}{2}$	13. –	in toto anno
19. $\frac{1}{2}$	15. $\frac{1}{2}$	16. –	11. $\frac{1}{2}$	3. –	14. $\frac{1}{2}$	157

(f. *Pluvia singulis mensibus delapsa.*

......	......	......	......	......	......	et integro anno
......	......	......	......	......	......	p. 32 l. 1,20.

(g. *Ventorum qui anno flaverunt directio.*

N.	NE.	E.	SE.	S.	SO.	O.	NO.
24.	105.	61.	21.	24.	64.	48.	19.

1809.

(a. *Mediae altitudines barometricae cujusque mensis ex duabus quotidianis observationibus deductae.*

Januarii	Februarii	Martii	Aprilis	Maii	Junii	Totius anni
27. 9. 12.	27. 11. 4.	27. 11. 1.	27 8. 3	27. 9. 3	27. 11. 2	Max. 28. 5. 2.
Julii	Augusti	Septemb.	Octobris	Novemb	Decemb.	Min. 27. 2. 6.
27. 8. 7.	27. 6. 15	27. 8. 11.	28. 0. 5	27. 7. 9.	27. 9. 11.	Media 27. 10. 8.

(b. *Mediae altitudines thermometricae cujusque mensis deductae ut supra.*

						Max. + 20. 8.
− 1. 6.	+ 4. 5	+ 5. 0	+ 8. 3	+ 13. 5	+ 15. 7	Min. − 8. 0.
+ 16. 4.	+ 17. 1.	+ 13. 5.	+ 8. 5	+ 3. 5	+ 1. 0	Med. + 8. 76.

(c. *Temperies putei profundi pedes 24. ad exitum cujusque mensis observata.*

+ 8. 5	+ 9. 0.	+ 8. 8	+ 9. 5.	+ 9. 5	+ 8. 5	Med. tot. anni
+ 8. 5	+ 8. 6.	+ 8. 8.	+ 9. 0.	+ 9. 9	+ 9. 4	+ 9. —.

(d. *Media demonstratio Hygrometri per singulos menses*

78, —	74, 4.	62, 25.	67, —	57, 29.	56, 9.	Media ut supra
52, 16.	57, 3.	63, 36.	62, 7.	70, —	84, —	65, 78.

(e. *Dies sereni in singulis mensibus.*

11. —	13. $\frac{1}{2}$	14. —	6. $\frac{1}{2}$	16. —	18. —	in toto anno
18. $\frac{1}{2}$	19. —	11. —	17. —	10. $\frac{1}{2}$	10. $\frac{1}{2}$	155. $\frac{1}{2}$

(f. *Pluvia singulis mensibus delapsa.*

. . . . . .	. . . . .	. . . . . .	. . . . .	. . . . .	. . . . .	et integro anno
. . . . . .	. . . . .	. . . . . .	. . . . .	. . . . .	. . . . .	p. 35. 1. 7.

(g. *Ventorum qui anno flaverunt directio.*

N.	NE.	E.	SE.	S.	SO.	O.	NO.
32.	59.	57.	21.	16.	61.	204.	15.

1810.

(a. *Mediae altitudines barometricae cujusque mensis ex duabus quotidianis observationibus deductae.*

Januarii	Februarii	Martii	Aprilis	Maii	Junii	Totius anni
27. 11. 15	27. 9. 3	27. 8. 1	27. 9. 6	27. 9. 2.	27. 9. 3.	Max. 28. 4.10.
Julii	Augusti	Septemb	Octobris	Novemb.	Decemb.	Min. 27. 3. 1.
27. 11. 1	27. 11. 7	27. 12. 5.	27. 9. 12	27. 9. 4.	27. 8. 9	Med. 27. 9. 1.

(b. *Mediae altitudines thermometricae cujusque mensis deductae ut supra.*

						Max. + 22. 9.
− 0. 5.	+ 1. 5.	+ 8. 0.	+ 9. 2.	+ 11. 5	+ 13. 4	Min. − 7. 0.
+ 18. 5	+ 16. 3.	+ 12. 8	+ 8. 0.	+ 2. 75.	+ 1. 25.	Med. + 7. 72.

(c. *Temperies putei profundi pedes 24. ad exitum cujusque mensis observata.*

+ 9. 5	+ 9. 5.	+ 9. 8	+ 9. 3	+ 9. 6.	+ 9. 7.	Med. tot. anni
+ 9. 9	+ 9. 0	+ 9. 5	+ 9. 5.	+ 9. 8	+ 9. 4	+ 9. 5. −

(d. *Media demonstratio Hygrometri per singulos menses.*

85. −	78, 9.	77, 64.	61, 9.	36, 29.	65, −	Media ut supra
63. 7.	61, −	58, −	61, 77.	62, 8.	62, 51.	64. 54.

(e. *Dies sereni in singulis mensibus.*

12. −	9. $\frac{1}{2}$	8. $\frac{1}{2}$	13. −	13. −	11. −	in toto anno
13. $\frac{1}{2}$	18. $\frac{1}{2}$	15. −	10. −	12. −	15. $\frac{1}{2}$	151. $\frac{1}{2}$

(f. *Pluvia singulis mensibus delapsa.*

. . . . . .	. . . . .	. . . . .	. . . . .	. . . . .	. . . . .	et integro anno
. . . . . .	. . . . .	. . . . .	. . . . .	. . . . .	. . . . .	p. 48. l. 7,99.

(g. *Ventorum qui anno flaverunt directio.*

N.	NE	E.	SE.	S.	SO.	O.	NO.
31.	109.	69.	11.	22.	44.	65.	14.

1811.

(a. *Mediae altitudines barometricae cujusque mensis ex duabus quotidianis observationibus deductae.*

Januarii	Februarii	Martii	Aprilis	Maii	Junii	Totius anni
27. 10. 9	27. 8. 0.	28. 0. 12.	27. 6. 6	27 10 3.	27. 8. 5.	Max. 28. 4. 8.
Julii	Augusti	Septemb.	Octobris	Novemb.	Dicemb.	Min. 27. 2. 3.
27. 9. 15.	27. 10. 12.	27. 11. 1.	27. 9. 2	27. 11. 1.	17. 10. 0.	Med. 27. 9. 13.

(b. *Mediae altitudines thermometricae cujusque mensis deductae ut supra.*

						Max. + 23. 0.
− 1. 25	+ 4. 0.	+ 6. 76	+ 10. 3.	+ 15. 5.	+ 16. 0.	Min. − 6. 50.
+ 19. 0.	+ 16. 0.	+ 10. 25	+ 6. 25.	+ 2. 0.	− 1. 0.	Med. + 8. 65.

(c. *Temperies putei profundi pedes 24. ad exitum cujusque mensis observata.*

+ 9. 1.	+ 9. 6	+ 9. 7.	+ 9. 6	+ 9. 7.	+ 9. 7.	Med. tot. anni
+ 9. 8.	+ 9. 8	+ 9. 7.	+ 9. 6.	+ 9. 6	+ 9. 4.	+ 9. 5. −

(d. *Media demonstratio Hygrometri per singulos menses.*

75. 5.	74. 8.	57. 5.	63. −	58. 5.	59. −	Media ut supra
60. −	59. 5.	60. −	64. −	63. 9.	62. 6.	64. 8.

(e. *Dies sereni in singulis mensibus.*

9. $\frac{1}{2}$	12. −	18. $\frac{1}{2}$	7 $\frac{1}{2}$	16 $\frac{1}{2}$	11. $\frac{1}{2}$	in toto anno
18. $\frac{1}{2}$	6. $\frac{1}{2}$	19 $\frac{1}{2}$	13. $\frac{1}{2}$	4. −	11. $\frac{1}{2}$	147.

(f. *Pluvia singulis mensis delapsa.*

. . . . .	. . . . .	. . . . .	. . . . .	. . . . .	. . . . .	et integro anno
. . . . .	. . . . .	. . . . .	. . . . .	. . . . .	. . . . .	p. 33. 1. 5,75.

(g. *Ventorum qui anno flaverunt directio.*

N.	NE	E.	SE.	S.	SO.	O.	NO.
32.	80.	51.	39.	54.	59.	36.	14.

(a. *Mediae altitudines barometricae cujusque mensis ex duabus quotidianis observationibus deductae.*

Januarii	Februarii	Martii	Aprilis	Maii	Junii	Totius anni
27. 9. 11.	27. 10. 14	27. 8. 7.	27. 4. 9	27. 10. 6.	27. 11. 11.	Max. 28. 3. 10.
Julii	Augusti	Septemb	Octobris	Novemb.	Decemb.	Min. 27. 1. 5.
27. 10. 1.	27. 11. 7	27. 11. 2	27. 8. 5.	27. 8. 6	27. 9. 3	Med. 27. 9. 8.

(b. *Mediae altitudines thermometricae cujusque mensis deductae ut supra.*

						Max. + 22. –
– 4. 75.	+ 0. 35.	+ 5. 15.	+ 6. 85.	+ 12. 55	+ 16. 6.	Min. – 9. 5.
+ 16. 1.	+ 17. 0.	+ 11. 8	+ 8. 0.	+ 3. 75.	– 2. 2	Med. + 7. 6.

(c. *Temperies putei profundi pedes* 24. *ad exitum cujusque mensis observata.*

+ 8. 0.	+ 8. 0.	+ 8. 0.	+ 8. 0	+ 8. 2.	+ 8. 5	Med. tot. anni
+ 8. 75	+ 9. 4.	+ 9. 9	+ 9. 8	+ 9. 0.	+ 8. 2.	+ 8. 64.

(d. *Media demonstratio Hygrometri per singulos menses.*

65. 7.	80. –	73. –	64. 3.	57. 6	56. 6.	Media ut supra
59. –	60. –	63. 3.	72. 9.	83. 5.	87. –	68. 49.

(e. *Dies sereni in singulis mensibus.*

19. $\frac{1}{2}$	7. $\frac{1}{2}$	6. $\frac{1}{2}$	8. –	15. –	9. $\frac{1}{2}$	in toto anno
11. –	11. $\frac{1}{2}$	14. $\frac{1}{2}$	6. $\frac{1}{2}$	2. $\frac{1}{2}$	5. $\frac{1}{2}$	117. $\frac{1}{2}$

(f. *Pluvia singulis mensibus delapsa.*

p. 0. l. 2,4	p. 1. l. 10,9.	p. 5. l. 3, 4	p. 1. l. 6,23	p. 1. l. 2,60	p. 1. l. 3,97	et integr. anno
p. 3. l. 7,9	p. 1. l. 8,54.	p. 1. l. 10,21	p. 8. l. 11,42	p. 3. l. 11.67	p. 2. l. 10,3	p. 34. l. 5,54.

(g. *Ventorum qui anno flaverunt directio*

N.	NE.	E.	SE.	S.	SO.	O.	NO.
27.	41.	128.	15.	31.	35.	73.	16.

1813.

(a. *Mediae altitudines barometricae cujusque mensis ex duabus quotidianis observationibus deductae.*

Januarii	Februarii	Martii	Aprilis	Maii	Junii	Totius anni
27. 11. 1.	28. 0. 6	27. 10. 9	27. 11. 8	27. 7. 6	27. 9. 9	Max. 28. 3. 13.
Julii	Augusti	Septemb.	Octobris	Novemb.	Decemb.	Min. 27. 1. —
27. 10. 3.	27. 11. 1.	27. 11. 10	27. 9. 3	27. 9. 15	27. 11. 1.	Med. 27. 10. 15.

(b. *Mediae altitudines thermometricae cujusque mensis deductae ut supra.*

						Max + 21. 5.
— 1. 65.	+ 3. 6	+ 4. 25.	+ 8. 6	+ 14. 3.	+ 14. 2.	Min. — 6. —
+ 10. 3.	+ 15. 2.	+ 12. 35	+ 9. 0.	+ 4. 0	+ 2. 1.	Med. + 8. 12.

(c. *Temperies putei profundi pedes 24. ad exitum cujusque mensis observata.*

+ 8. 0.	+ 7. 5.	+ 7. 7.	+ 8. 0.	+ 8. 0.	+ 8. 8.	Med. tot. anni
+ 9. 2.	+ 9. 8.	+ 10. 0.	+ 10. 0.	+ 9. 6.	+ 9. 3.	+ 8. 8.

(d. *Media demonstratio Hygrometri per singulos menses.*

87, —	84, 4.	62, 5.	57, 6.	61, 5.	64, —	Media ut supra
59, 8.	57, 2.	64, 7.	75, 3.	80, 5.	89, —	70. 12.

(e. *Dies sereni in singulis mensibus.*

6. —	7. —	14. $\frac{1}{2}$	14. —	11. —	4. —	in toto anno
13. $\frac{1}{2}$	14. $\frac{1}{2}$	7. $\frac{1}{2}$	5. —	6. $\frac{1}{2}$	6. $\frac{1}{2}$	111.

(f. ***Pluvia** singulis mensibus delapsa.*

p. 3. l. 10,2.	p. 1. l. 2,67.	p. 0. l. 4,3.	p. 1. l. 6,45	p. 1. l. 6,16	p. 3. l. 0,45.	et integr. anno
p. 2. l. 3,17.	p. 6. l. 3,67	p 6. l. 3,33	p. 3. l. 10,5.	p. 3. l. 7,47	p 4. l. 1,04	p. 37. l. 9,41.

(g. *Ventorum qui anno ſtaverunt directio.*

N.	NE.	E.	SE.	S.	SO.	O.	NO.
20.	37.	146.	7.	20.	24.	97.	8.

1814.

(a. *Mediae altitudines barometricae cujusque mensis ex duabus quotidianis observationibus deductae.*

Januarii	Februarii	Martii	Aprilis	Maii	Junii	Totius anni
27. 8. 12	27. 11. 8.	27. 7. 6.	27. 10. 12.	27. 10. 8.	27. 11. 1.	Max. 28. 4. 11.
Julii	Augusti	Septemb.	Octobris	Novemb.	Decemb.	Min. 26. 11. 9.
27. 11. 4	27. 10. 15	27. 11. 9	27. 10. 7.	27. 10. 5.	27. 10. 5	Med. 27. 10. 6.

(b. *Mediae altitudines thermometricae cujusque mensis deductae ut supra.*

						Max. + 23. 5.
− 2. 2.	− 4. 75.	+ 6. 5.	+ 8 75	+ 10. 1.	+ 13. 86	Min. − 10. 2.
+ 16. 9.	+ 16. 75	+ 12. 25.	+ 9. 35	+ 6. 1	+ 0. 8	Med. + 7. 86.

(c. *Temperies putei profundi pedes 24. ad exitum cujusque mensis observata.*

+ 8. 8.	+ 7. 5.	+ 7. 7.	+ 8. 5	+ 7. 7	+ 8. 1	Med. tot. anni
+ 9. 0	+ 9. 8.	+ 10. 0	+ 10. 0	+ 10. 0.	+ 9. 0.	+ 8. 8.

(d. *Media demonstratio Hygrometri per singulos menses.*

90, 2.	81, 9	82, 5.	72, 2.	69, —	69, 4.	Media ut supra
66, —	70, —	68, 7.	77, —	88, 5.	95, —	77. 5.

(e. *Dies sereni in singulis mensibus.*

2. $\frac{1}{2}$	18. $\frac{1}{2}$	6. $\frac{1}{2}$	11. —	9. $\frac{1}{2}$	10. —	in toto anno
17. —	10. —	19. $\frac{1}{2}$	3. $\frac{1}{2}$	6. —	3. —	117.

(f. *Pluvia singulis mensibus delapsa.*

p.3.l 1,25	p.0.l.0,33	p.4 l 11,08	p 3.l. 7,—	p. 4 l.1,17	p.4.l.9,31.	et integr. anno
p.1.l.7,25.	p.6.l.2,33	p.0.l. 3,52	p 5.l.11,66	p.7.l.8,65.	p.5.l.5,29	p. 47. l. 8,66.

(g. *Ventorum qui anno flaverunt directio*

N.	NE.	E.	SE.	S.	SO.	O.	NO.
20.	35.	155.	8.	15.	29.	95.	8.

(a. *Mediae altitudines barometricae cujusque mensis ex duabus quotidianis observationibus deductae.*

Januarii	Februarii	Martii	Aprilis	Maii	Junii	Totius anni
27. 7. 7.	28. 0. 4	28. 0. 1	27. 4. 4	27. 1. 12	27. 5. 7	Max. 28. 5. —
Julii	Augusti	Septemb	Octobris	Novemb.	Decemb.	Min. 27. 3. 1.
27. 10. 15.	27. 12. 13.	27. 11. 15	27. 9. 10	27. 11. 12	27. 7. 2	Med. 27. 8.15.

(b. *Mediae altitudines thermometricae cujusque mensis deductae ut supra.*

						Max. + 22. 3.
+ 1. 85.	+ 1. 8	+ 6. 82	+ 9. 4	+ 14. 6.	+ 15. 33.	Min. — 9. 8.
+ 17. 12.	+ 10. 6.	+ 15. 1	+ 10. 7.	+ 3. 36.	— 0. 28.	Med. + 8. 86.

(c. *Temperies putei profundi pedes 24. ad exitum cujusque mensis observata.*

+ 8. 0.	+ 8. 0.	+ 7. 8	+ 8. 0.	+ 8. 5.	+ 8. 5.	Med. tot. anni.
+ 9. 0.	+ 9. 8.	+ 10. 6.	+ 10. 6.	+ 9. 8.	+ 8. 0.	+ 8. 88.

(d. *Media demonstratio Hygrometri per singulos menses.*

91. 2.	91. —	68. 7.	70. 3.	70. 1.	68. 7.	Media ut supra.
67. 1.	68. 8.	67. 5.	77. —	83. —	88. 1.	75. 2.

(e. *Dies sereni in singulis mensibus.*

7. —	7. —	16. $\frac{1}{2}$	10. $\frac{1}{2}$	12. $\frac{1}{2}$	11. —	in toto anno.
11. —	15. $\frac{1}{2}$	14. —	7. $\frac{1}{2}$	7. —	— $\frac{1}{2}$	120.

(f. *Pluvia singulis mensibus delapsa.*

p. 1. l. 0,48	p. 1. l. 7,5	p. 0. l. 7,53	p. 2. l. 2,13	p. 2. l. 7,75	p. 2. l. 1,13.	et integr. anno
p. 3. l. 6,48.	p. 1. l. 0,16	p. 2. l. 10,25	p. 2. l. 7,89	p. 1. l. 10,75	p. 0. l. 6,5	p. 22. l. 8,55.

(g. *Ventorum qui anno flaverunt directio.*

N.	NE.	E.	SE.	S.	SO.	O.	NO.
23.	19.	158.	9.	12.	20.	119.	10.

II.

Prospectus Mediarum integrae periodi annorum octo, nempe ab anno 1808. ad totum 1815.

Media Barometri	Media Thermometri	Media temperiei putei etc.	Media Hygrometri	Medius numerus dierum ser.	Media mensura pluviae delapsæ
27. 9. 14.	+ 8, 2.	+ 9, 03.	68, 48	134. $\frac{1}{2}$	pol. 36. l. 6,76.

Proportio qua venti divers mode flaverunt		*Proportio relata ad vim qua flaverunt venti extra ordinem, nempe* validiores	violenti	tempestuosi
N.	27	11	13	5
NE.	61	2	4	1
E.	102	53	20	2
SE.	16	1	—	2
S.	24	1	1	2
SO.	42	6	5	3
O.	80	20	8	2
NO.	13	8	3	—

Dies procellosi in mense	*cum tonitru et imbre*	*com tonitru et grandine*
Martii	»	2
Aprilis	4	»
Maii	4	1
Junii	14	»
Julii	18	1
Augusti	15	1
Septembris	5	»
Octobris	4	»

Dies quotquot procellosi fuerunt summa
69.

cum electrica tensione
positiva = negativa
7. = 62.

Annotatiunculae ad tabulas observationum meteorologicarum.

Animadversiones omnes, quae ad integram neque intermissam postremorum octo annorum periodum attinent, quaeque in Prospectibus I. II. indigitantur, ut et pari pacto illae, quae derivationes *medias* seu mensuras sic dictas *medias* suppeditarunt, ita institutae fuerunt, ut neque maiorem desiderent diligentiam, neque exercitationem cautionum, doctrinarumque omnium, quas physica disciplina edocet.

Observationum locus situs est in iis aedibus Ticinensis Athaenei, in quibus instrumenta physica concinne admodum collata sunt. Porro urbs Papia atque adeo aedes ipsae positae sunt ad gradum 45.° 10' 47" latitudinis borealis et ad 42" longitudinis occidentalis (*Ovest*) meridiani observatorii Astronomici braydensis Mediolani, et elevantur supra libellam

aequoris maris pedes parisienses 264. et lineae 10. iuxta summam mensurarum mediarum, quae barometri ope per plures annos tam in urbe nostra, quam Ianuae effecta fuit.

Instrumenta physica ad hasce observationes elucubrandas adhibita, affabre constructa nec minimum mendosa erant. Scala barometri dividitur in pollices pedes parisini, linearum et sexdecesimarum lineae partium. Emendatio autem thermometrica facta fuit iuxta methodum Cl. Delaplace.

Thermometrum est scala communi, nempe mercurium, confectum. In octoginta dividitur gradus, et horum quilibet iterum disiungitur in decimas et centesimas partes. Hoc instrumentum in opacis locorum expositum ac ita a corporibus omnibus insulatum, ut quaelibet lucis vel calorici lateralis repercussio nullibi illud afficere quiret: hinc ad quatuor pedes parisienses supra terram pendebat.

Temperies putei in tabulis diversis signata in duobus pariter diversis locis emensa fuit, nimirum primis quatuor annis in uno ut et in aliis 4. successivis altero in puteo. Iam inde visitur, cur temperies aquarum in priore temporis intervallo aliquantulum maior illa erat, quam annis succedentes aperuere. Fatendum caeteroquin *mediam* qua primis, qua secundis mensuris supputatam esse, ne quid alienum a rei ratione committeretur.

Hygrometrum effictum est methodo expertissimi De Luc, atque inde vitta ossium balenae, cuius scala in centum partes tributa, atque haec itidem distracta ex lege calculi decimalis: hoc ipsum inserviit ad emetiendam hygrometricam constitutionem atmospherae. Quando vero corpus hydrometricum experientiae subactum, demonstrationes segniter indicabat, alter impiger vicariam praestabat operam, ac perenne scala in

gradus perite discernebatur methodum eiusdem De Luc e vestigio insistens.

Aqua pluvialis coacta erat in vasis, quae, quoad fieri poterat, evaporationem praepediebant, eiusque copia indicitur pollicibus, lineis et centesimis lineae de more mensurae gallicae. In procellosis diebus tensio electrica dignoscebatur ope conductoris *interrupti* elevati supra observatorium meteorologicum athenaei.

Ventorum impetus aereometricis experientiis comparationis praefinitus fuit hinc quoniam illi vel baccantes, aut irregulariter perflantes observanti incommodum importabant, tres in classes dividebantur, quarum una *validiorum*, altera *violentorum*, tertia demum *tempestuosorum* appellitabatur.

Anemoscopium autem, quod solummodo horizontalem directionem arguebat, optime fabrefactum fuit, atque in accommodo loco situm, neque ipsi in vicino erant alia omnigena corpora. In suppu-

tatione dierum sereno caelo notabilium, ratio etiam fuit dimidiatorum dierum serenorum scopo instituendi observationes conditionem caeli spectantes mage comparabiles, hinc videsis cur nullum in duobus Prospectibus I. II. indicium dierum variantium, hoc est partim serenorum, partim nubilorum inscribantur.

Quoniam vero ex iteratis absolutissimis nullo intervallo intermisso peractis experimentis postrema hac aetate ab aliquamultis physicis ac chemicis antecessoribus, praecipue autem tum a me ipso, tum a magni nominis viris VOLTA, HUMBOLD, GAY-LUSSAC de chimica aeris atmosphaerici constitutione institutis, nemini in praesentiarum obscurum factum fuit vel prorsus minime commutatam esse, vel saltem sub sensus haudquaquam obviam esse mutationem in numero et qualitate fluidorum elasticorum, qui permixtionem aeriformem atmospherae constituunt, proinde nulla addita est tabula, quae varios

puri aeris gradus, iuxta diversas temporis circumstantias in vulgus edat. Centum atmospherici aeris psrtes septuagintanonas azoti, et 20., s. ad 21. oxygeni seu aeris vitalis continens, dico 20. s.; ad 21., discrepantia etenim caussatur a parvula particula acidi carbonici, aut a pauciori copia aeris inflammabilis, qui intermiscetur, vel etiam ab iis hallucinationibus, quae semper irrepunt dum fiunt analytici processus copiae tam parvae ipsius aeris, utcumque enim unaquaque de re solertissime cautum sit, nequaquam tamen in his asperitatibus rerum satis caves.

Ego sane institui experimenta praecipua de aere, quem nedum in cacuminibus eminentioribus uti montis *Cenisii*, magni Divi *Bernardi*, passus *S. Gothardi* aliorumque montium collegi, sed etiam de aere aularum, in quibus dedita opera plura diu animalia spiritum recepere, nec oblivione conterivi paludum, orizariorum, pratorumque prolutorum,

quae nostrates agricolationis viri *marcite* vernacula appellatione signant, aeres explorare. Porro illi omnes legibus chemicis abacti, ut abdita suorum componentium panderent, demonstrarunt partes aerem atmosphericum efformantes, quae chemica analysi eruuntur, anteadictae proportioni respondere. Sed nota omnibus ac perspicua sunt haec omnia in commentariolo, cui titulus *de aere in vescica natatoria piscium conclusa* Papiae 1809. evulgato, quod totidem verbis teutonico etiam idiomate transtulit Clar. RUHLANDIUS et in apertum retulit.

Demum epochae stabilitae pro unaquaque praefatarum observationum, quae in tabula recensentur ad minus duae nullo non die fuere, nempe ante lucem, ac sole occiduo.

Utcumque longe progrediatur spatium illud Italiae superioris, quod agri Ticinensis nomine excipitur, plaga eius *physica* variationibus solemnibus seu sensibus obnoxiis minime discrepat, neque

verendum a sede loci ubi hae meteorologicae observationes aggressae fuerunt, dissidere. Re quidem vera solum agri Ticinensis neque a montium, neque a vallium intersecatur catenis ac demto Divi *Columbani* colliculo, quem padus a caeteris, qui dextroversum iuxta hoc ipsum flumen seriatim inveniuntur, quique Appenninis innixi, antiqui papiensis principatus limites illuc exscindunt, solum omne ferme ubique ad libellam respondet, quod quidem etiam evincitur ex parvi ponderis declivitate, quam tum padus, tum ticinum demonstrant. Pariter Papiensis ager quaquaversum sylvis praegrandibus carens, suo *physico* climate absimilis sensibiliter esse nequit, neque enim in hoc agunt sylvulae, quae vel eridani vel ticini aliorumque fluminum latera brevi tractu vel percutiunt, vel lingunt. Montes tandem viciniores, Apennini nimirum, collesque illis limitanei ita dissitti sunt, ut nullus inde spectabilis influxus oriatur in una vel

altera plaga ticinensis agri, perpensa distantia, quae inter unam et alteram ipsius partem sub eadem ratione cedit. Sed crassiori agamus minerva, et aliqualis discrepantia esto, haec sane, si quae adest, quis inficias ibit illi tribuendam esse parti, quae trans padum sita est, et collibus montibusque contermina? Animadversionibus hisce antehabitis, observata a nobis prolata normam physicam sat idoneam suppeditant ad *Clyma physicum* provinciae papiensis, ac vel maxime agri cispadani stabiliendum.

Et ut quidem expeditius propositum assequamur, peropportunum erit hoc loci referre nonnulla, quae ab effatis observationibus manant, flocci faciens caetera, quae cuique colligere facili negotio datum est, prospectus recognoscens meteorologicos cuiusque anni, ab anno nimirum 1808. usque ad exsitum anni 1815. cum annis praecedentibus, vel successivis, et alterum prospectum synopticum completi omni periodi annorum octo attentissime perlegens et pervolvens.

Primo. Indubium est conditionem hygrometricam atmospherae ticinensis gaudere proportione *crescente*, ut et pariter certum est eam adaugere generatim copiam pluviae singulo quoque anno crescentis. Annus 1815. huic universae illationi unice obstat (12). Venti, qui plerumque perflant sunt E. (2) et D., at primi copiosiores, atque una cum NE. et SE. et S. pluviales. Quotusquisque est, qui prudens agricolationis nostrae, totque aquaeductus videns, a caussis istiusmodi speciatim augmentum progredientis atmosphericae humiditatis non videt?

(3) Eluviones pariter crebriores, atque eae autumnali mage quam vernali tempore. Dum autumnat plena manu in planitie perpluit, hoc ipso tempore pluit et ningit in montibus. Nix eadem festinanter liquescit, ac flumina, aquae caeli iuxta montiumque delapsae, repentino ductu citata feruntur, impervia intument, oras superexcurrunt. Ab anno 1791. ad annum 1810. eluviones quatuor

longe lateque super agros ita disseminatae erant, ut saeculares vocari merito possent. Loquar de eluvionibus anni 1791., anni 1801., anni 1807., et 1810., quarum tres autumnalibus diebus evenere, una namque Septembri mense, altera Octobri, tertia Novembri, quarta mense Decembri (4). Nivis copia pariter adaucta est, media autem annis singulis est ad pollices 26.

(5) Tensio electrica exeritur vel maxime mensibus Iulii ac Augusti. In caussa est redundantia evaporationis, quae hoc tempore fit; attamen pluvia in grandinem concreta neque tam crebra, neque ita fatalis, ut decutiat fructus, prosternat fruges, et messem miserrime perdat, quod caeteroquin accidit in aliis Italiae septentrionalis plagis; soli atque atmospherae mador destruit, quod ab utroque genitum est.

(6) Quantumvis ager noster maximam partem constituat amplissimae vallis eridani inter alpes et apenninum, nihilota-

men minus observationes condocefaciunt, ab hoc postremo montium nexu, qui quoque vicinior est, praecipuas atmospherae vicissitudines derivare, ac speciatim tum pluviarum copiam tum frigus, quo postremo iterum vere senescente tentamur. Venti fervidi aut temperati, quod mare intestinum verunt et traiiciunt, iuga appennini quinque mensium tractu nivosa transcurrunt, ac super ticinense caelum irrumpunt, brevi defervescunt, pluviamque gignunt. Quod quidem eo facilius accidit caussa climatis ex indole humentis, et ventorum ipsorum ingenio, qui vapidi sunt.

Venti autem solani (est) qui temperati et humidi saepissimae perflantes pariunt pluviarum frequentiam, advenientes in regione, in qua et ab alpibus, et ab apenninis venti appellunt frigidi, qui pronde humiditatem maximopere adaugent.

Quod si ab alpibus ex apenninis ingruente vere nulli venti per multos dies aspirant, tum regio nostra, utpotequae

quasi centrum speculi concavi medio figitur, illico et facillime excandescit, atque exinde praevernat, pulli arborum celerrime turgent, praecocius evolvuntur frondes, ridentemque tellurem videmus. Et si, ut saepe saepius obtingit, venti frigidi ad nos remeant, qui brevi intervallo substiterunt, ne dum pruinae adoriuntur, sed et pluviae pruinis peiores, delabente etenim vere floridae sunt vites stirpesque multae tum cereales, tum fructigenae.

Hisce neque aliis caussis tribui debet messis minime votis respondens agri cispadani, quod quidem infortunium, vel partim vel plenissime evitat ea pars transpadana, quae collibus adiacet, ubi temperies frigidior, vegetationis cunctatione, damnum anteadictum ferme omnino eliminat, neque enim per eos omnes agros bacchatur, vel tantopere crebrum est. Fatendum tamen hunc ipsum agrum mage grandinosum esse.